

posita est; in illa, inquam, æqualitate, quæ gratias omnes eximia proportionem similes efficit. Nam verbum sava, æqualitatem seu similitudinem præ se fert Isai. 40. 25. Prov. 3. 15. Quæ autem alia est in perfecta fabrica partium, membrorum, ornamentorumque similitudo, nisi quæ symmetria, commensu, commodulatione, & proportionem absolvitur?

Psal. 64. 6.

Quid sit templum Dei mirabile esse in æquitate.

258 Uno contentus esse possem testimonio, omni prorsus exceptione majori, quo hanc doctus quis tueatur opinionem. David Psal. 64. 6. illam in Dei domo admiratus proportionem, ac symmetriam, exclamat: Sanctum est Templum tuum, mirabile in æquitate. Placet illa expositio, qua dicitur ipsa fabrica Templi tam aptè, tam concinnè, tam æquabiliter divinitus præscripta, ac disposita, apertè indicare eximiam opificis artem, qua cuique parti iustum ex proportionem magnitudinem, & ornatum dedisse novit: exprimere, inquam, absolutissimam illam Numinis æquitatem, qua singulis mystici Templi membris, gratias, dona, præmia, aut pro meritis, aut pro ministeriis ad commensum distribuit. Pro sanctum, est Hebraicè, mundum est templum tuum. Pro in æquitate verò, ponitur, in iustitia, distributiva nempe, & proportionaria. Galenus enim de usu partium corporis humani dum singula membra ex utroque humani corporis latere, dextro, & sinistro, mutua sibi symmetria respondentia mirum in modum celebrat, iustitiam naturæ appellat hanc æquitatem. Vide Vallesium lib. de sacra Philosph. cap. 75.

Isai. 54. 12.

Marianum templum in sapphiris & in iustitia fundatum in proportionem gratiarum.

239 Ex hac proportionaria æquitate, & commensuratrice iustitia, explicari ingredior Isaiæ caput 54. Qui postquam multa de Ecclesiæ Christianæ fabrica varicatus est, quam in sapphiris fundandam prædixerat, addit pro coronide; in iustitia fundaberis. Video tropicam esse locutionem, sed translatio utrumque complectitur, & id à quo, & id ad quod cum virtute verbum traducitur. Igitur iustitia hæc in ædificio materiario prius consideranda est, ut inde ad mysticum scitè transferatur. Porrò autem in ædificio aliquo non alia iustitia est, quàm ea, quæ ex iusta partium, atque membrorum, & ornamentorum partitione, dispositione, commensuratione, & proportionem confurgat. Itaque quæ fabrica in iustitia fundari dicitur, idè dicitur, quia fundamentum cum reliquo ædificio maximè commensuratum, & proportionatum sit. Conferamus igitur fundamentum cum superiori omni structura. Fundabo te, inquit, in sapphiris, cælestibus, firmis, pretiosissimis gemmis: quæ stellati cæli speciem, & similitudinem obtinent, ob cæruleum colorem, & aurea puncta collucencia. Vide Alcazar ad c. 20. Apoc. v. 20. notatione 8. Cumque S. Cyrillus hunc Isaiæ locum cum Zachariæ petra primaria contulerit, quasi ejusdem utrumque sententiæ esse doceat; non ineptè dixeris lapidem primarium esse eundem illum, quem cap. 3. v. 9. oculatum appellavit: Super lapidem unum septem oculi sunt. Ut enim ingeniosè nosser Alcazar ibi, lapidem oculatum dictum putat stellatum seu stellis distinctum, qualis est sapphirus: quia stellæ appellari solent à Plinio, & aliis oculi. Arias Montanus ad Isaiæ verba pro, in sapphiris, vertit, in Adamantibus: & certè Adamas, auctore Plinio 37. 4. venena irrita facit.

Zach. 3. 9.

Plini.

260 Jam ergo expende, quàm aptè huic fundamento tota murorum, ac propugnaculorum extructio respondeat: Et ponam sapphiridem propugnacula tua. Fundamentum cælestis firmissimum muros exigit, & propugnacula jaspideâ. Jaspis enim hostiles impetus tartarei hostis propulsat, ut hic observat S. Hieron. Quo omnia phantasmata fugari autumant. Recenset varia japidum pretiosorum genera cum Plinio 37. 9. Hoc diximus (addit Hieronymus) ut universas gratias spirituales in Ecclesiæ propugnaculis cognoscamus, quas qui habuerit, varios timores fugat. Vides, ut gratiæ aliæ gratiæ primariæ fundamenti respondeant? Sapphirus dum cælum pro fundamento refert, sive Adamantis id genus sit, venenum antiquum procul arcens, Marianum fundamentum apprimè refert. Hoc porrò fundamentum non aliam aptiorem structuram poscebat, quam japidem tot gratias, quot gemmas reddentem, quæ stygia propellant phantasmata. Quo enim pacto cum cælesti fundamento, veneni Impariete, non cælestes muri, non cælestia cohæsissent propugnacula inferni umbras profigantia? Addit Vates: Et portas tuas in lapides sculptor. Pro sculptis, LXX. Isai. 54. 12. crystallum vertunt: & portas tuas lapides crystalli. Porta, ait Hieronymus, de lapide sunt crystallo, qui sculptur variis modis, quo lapide nihil purius est. Nempè ingressus omnes sive Mariæ in orbem, sive Christi in Mariam, sive egressus Mariæ ex orbe, sive sensus ejusdem universi eximia præcelluerunt puritate, singulari virtutum cælatura. De his ingressibus, & egressibus habes Prov. 8. 34. juxta lectionem LXX. Beatus servans limina meorum introituum, sive ingressuum. Et vers. 35. Egressiones meæ, egressiones vitæ. Subtextit Isaias: Et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Ex Hebræo Arias, in lapides beneplaciti. Quasi dicat: Nullus in tota fabrica lapis est, qui placere non possit, omnes optatissimi, sive nexum, sive naturam pretiosissimam adspicias.

261 Aperit deinde metaphoram; atque ut docet non de materiario ædificio, sed de spirituali, ac mystico se fuisse locutum, addit: Et universos filios tuos doctos à Domino; & multitudinem pacis filius ejus. Quid hoc? An nè Maria communis Academia est, ad quam Doctorum, & discipulorum frequentia tamquam ad publica gymnasia, confluant? Maxime verò. Nam si hac prophetia in secundario sensu Ecclesiam significet Vates, divinæ sapientiæ frequentissimam scholam, ubi ejus filii doctissimi evadunt; ex Mariæ alloquio, auditione, disciplina, & prima Ecclesia olim litteratissima emicuit, & nunc etiam qui eam Magistrum nancisci possunt, ad summum sapientiæ culmen dovehuntur. In qua quidem vel à mysterio Conceptionis addiscendo veluti initiantur; ut primo salutato sapientiæ limine ad interiora doctrinæ Marianæ penetralia promoveantur. Quòd huic sapientiæ parum adsociat, ritè facit; nisi enim inter sapientes de doctrina conveniant, nisi idem sapiant, idem uno omnes ore docuerint, neque adversus errores sese munire, neque diu propria tueri dogmata poterunt. Igitur si hæc in Ecclesiæ Doctoribus locum habent, uti maxime habent, certè in Mariæ mysteriis edocendis, in tradendo immunitatis privilegio, antiqua illa Christiani populi consensus in utroque testamento veteri, & novo, in utraque

Fundamentum sapphiridem respondet reliqua extructio. S. Hieron.

Ingressus, egressus Dei, para purissimum.

Prov. 8. 34.

Isai. 54. 13. Maria communis academia, vel à puncto sua conceptionis.

que Ecclesia Græca, ac Latinâ, id tandem obtinuit, ut contrariæ sententiæ ne hiceret jam quidem ex Romano Decreto liberum sit.

Maria in iustitia fundata.

262 Concludit Isaias: In iustitia fundaberis, ritè LXX. edificaberis: ut à fundamento ad totum ædificium iustitiam hanc, æquitatisque proportionem extenderent. Quasi dicant: Tota fabrica iustissima est, ad normam, ad amussim extructa, iusta cui parti mensura, magnitudo, ornatus, ad artem facta; nullum est membrum, quod præter symmetriæ regulas compari non reddatur, non respondeat exactè. Prorsus ita habet; iustitia, & sanctitas à fundamento ad culmen pertingunt. Audi S.

S. Bernard.

Bernar. in Serm. de B. Maria: Altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creavit, quam in sanctitate, & iustitia coram ipso fundaret. De mundo specialissimo nihil in præsentia; sciunt enim docti, templum Salomonicum mundi imaginem expressisse. Illud in Bernardo expendas, quod Maria, dum crearetur, (nam de creatione loquitur) in iustitia fuerit ab Altissimo fundata: nam quæ iustitia à fundamento creationis Marianæ incepit, reliquas partes similes, æquabiles, iustaque commensuratione fundamento respondentes exegit.

Isai. 54. 14. Nihil in Mariano edificio minus habet, quod calumnietur.

Rectè subdit Isaias: Recede procul à calumnia, quia non timebis. Id est, nihil hinc viderit momus, quod calumnetur, aberis procul à calumniatore, quem ego humiliabo. LXX. Recede procul ab iniquo. Quæ enim tantam ab ipso fundamento iustitiam ostentare potest, nihil ab iniquo, ab injusto illo tuo hoste, vel per inanem, ac falsam calumniam patieris. Hebraicè, Recedes velut propheticè, procul ab iniquo. S. Hieronym. ab iniquitate, explicat: inde etiam à calumnia quapiam; nam quidquid contra te confingetur, mera erit calumnia: & à pavore, quia non appropinquabit tibi. Sive hostis per calumniam, sive per vim aliquam contra te aliquid moliat, tam firmis munita es propugnaculis, tam securè fundaris, ut nihil sit, quod timere possis; quod pavorem afferre possit.

263 Sed hanc ipsam proportionum æquitatem, hanc mensurationum iustitiam in Mariano ædificio, à fundamento ex SS. Patribus declaremus. S. Cypr. lib. de Cardinal. Christi operibus c. 1. ex Virginis immunitate ab omni culpa, immunitatem ejusdem ab omni prorsus injuria arguit: quasi dedecet altera gratia sine altera: Nec sustinebat iustitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis: quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. S. Maximus Taurinensis signanter in Mariano Templo idem conformat argumentum à proportionis ratione petum Ser. de laud. B. Mariæ: Hæc, quæ fuit cælestis Templum, condecorat, & congruè nulla macula originali contaminata est. Eam immunitatem eo consilio Mariæ collatam fuisse asserit, ut totius augustissimi templi congruum, ac decens fundamentum collocaretur. Sic superior fabrica cum inferiori, congrua, cohærens, iustisque partibus commensurata extitit. S. Anselmus in lib. de Exordio Mundanæ salutis c. 6. Quòd sacrarium (Spiritus sancti) aula videlicet universalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, fundamenti illius unicum primordium, Conceptio B. Mariæ, quam ipsam aulam nominamus, extitit. Si igitur aliqua alijus peccati macula conceptio corrupta fuit,

S. Maxim.

S. Anselm.

fundamentum habitaculi Sapientiæ Dei non congruebat, ipsi structura non cohærebat. Quomodo enim fieri potuit, ut peccati propitiatio unum, & idem esse haberet cum peccato? Quæ enim societas lucis ad tenebras? Quod latè S. Pater profertur in eodè, & sequenti ejusdem libri capite.

264 Igitur gratias cum gratia illa prima conferamus; quòd facilius exponemus, si enumeratis singulis, huic gratiæ alias abnegatas fingamus. Quæ ergo proportio intercedit inter Matrem Dei, & diaboli captivam? Inter Reginam cæli, hominum, & Angelorum, & stygi tyranni servam mediastinam? Inter Virginem corpore inviolatam, animo tamen corruptam? Inter immunitatem ab actuali culpa, & originalem; à partus injuriis, cum ea culpa, cui dolores partus fuerant ab orbis principio additi? Inter corpus à sepulchri corruptione exemptum cum anima terribimè peccati lue putidissima? Inter summam gloriam in cælesti patria, qua super ipsos Seraphinos subvecta est, & extremam ignominiam, ad quam primò depressa fuisset? Summa collationis capita tetigit, ut sapientiori occasionem facerem promovendi rem istam.

§. I I.

Dies fundati lapidis primarii, diem indigitat Marianæ Conceptionis, Virgini gloriosum, Angelis, & hominibus honorificentissimum & plausibilem.

265 Celebris est illa Ecclesiastici sententia, qua dierum festorum, aut profectorum diversitatem ad divinam refert providentiam, per quam eos sapientissimè dispescuit, atque alium feriale, operosum alium instituit; non secus ac inter ipsos Adami filios distinxit; atque alios sanctitate nobiles condidit, alios peccato infectos abiecit. Primam sententiæ partem, quæ dierum diversitatem expendit, sic habet cap. 33. v. 7. Quare diem dies superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole? Clarius in Tigrina Leo: Quare diem diem præcellit, cum omnis lux dierum anni à sole profisciscatur? Hoc est: unde fit, ut cum omnes anni dies ab uno proveniant sole, hic tamen illi dignitate præstet? Respondet: A Domini scientia serapati sunt, factò sole, & præceptum custodiende. Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebraverunt ad horam. Leo Judas vertit: Judicio Domini distincti, qui vices temporum festorumque dierum disposuit, & sua divisit sapientia. Concludit denique: Ex ipsis exaltavit, & magnificavit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum. Tigrina legit: Is alios dies extulit, & consecravit. Syrus: Ex iis benedixit, & sanctificavit. Subdit continenter Siracides secundam parabolæ partem, id est, præcedentis explanationem; distinctionem illam nimirum, qua Deus per arcanam suam prædestinationem, inter Adami filios discrevit: Et omnes homines ex solo, & ex terra &c.

Ad Dei providentiam spectat dierum diversitas.

Sicut Deus discrevit inter dies, sic inter Adami filios, inter Christum & Mariam ac reliquos.

266 Scio, S. Augustinum lib. 1. ad Simplicianum, hoc Ecclesiastici testimonium de generali illa divisione prædestinationum, & reprobatorum exposuisse. Cæterum, putaverim, prius ad selectiorem quamdam diversitatem inter Christum, & Mariam ex una parte reliquamque Adami sobolem ex altera, Siracides doctrinam esse referendam. Quod ut cæstem,

existimem, haud leves me inducunt conjecturae, ex textu ipso petita. Prima, quia hanc divisionem in ipsamet creatione praestitam videtur asserere: *Et omnes homines de solo, & ex terra, unde Adam creatus est.* Deinde, antequam maledictionis, antequam peccati originalis meminerit: *In multitudine disciplinae Dominus separavit eos, & immutavit vias eorum. Et ipsis benedixit, & exaltavit, & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit.* Quosnam, quae, nisi mulierem jam inde ante maledictionem exemptam, ejusque Virginitatem prolem, serpentis illius adversariam? His duobus exceptis, benedictis, exaltatis, sanctificatis, sibi que additis, ex universa Adamitarum turba, addit: *Et ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos ad separationem ipsorum, quos jam peccato infectos praevidebat.* Altera conjectura sumitur ex accurata illa antithesi, qua Siracides ita concipit: *Contra malum bonum; & contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator. Et sic inuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum.* Duo & duo, ubi de creatione agitur, libenter interpretor Adamum, & Evam, Christum, & Deiparam: mox illud,

Unum contra unum contra unum, Christum Adamo oppositum, Evae Mariam.

unum id est, Christum Adamo oppositum, Evae Mariam, Sic malo bonum opponit, morti vitam, justum peccatori. Elegantissimam, non verborum, sed contrariarum rerum oppositionem, qua mundi pulchritudo componitur, jure miratur ex hoc loco S. Augusti. 11. de Civit. cap. 18. Hoc igitur posito, ad priorem redeo parabolae partem, in qua Siracides quaerit rationem, ob quam tanta inter anni dies diversitas intercedat, ut alii celebres, festi, laetiae accident; alii vero in dieum plebem fuerint coacti. *A Domini scientia separati sunt.* Haec prima parabolae pars visa aliam mentem habet, praeter illam, quam pro secunda parte, jam exposuimus. Sicut divina Sapiencia, ac bonitas a prima mundi creatione, Christum, & Mariam a reliquis Adami posteris sejunxit, ita prorsus inter dies discrevit; atque pro scientia, & benignitate sua, hunc esse voluit filii sui natalem laetissimum, illum Paschate illustrem, alium Ascensione celebrem: hunc Matris Virginis Assumptione solemnem, illum Nativitate, alium & quidem festum immuni Conceptione clarissimum. Hoc priori Ecclesiastici sensu statuto, secundum de generali praedestinatorum, & reprobatorum divisione, lector poterit adstruere, quem late Augustinus persequitur.

267 Ego id ex hoc testimonio Mariae vendico; sicut ejus praedestinationem, & electionem a caeterorum Adamitarum vulgo, jam inde a prima rerum conditura dispescuit; ita diem etiam conceptionis nobili nota consignasse, quam eximiam, nobilem, & celebrissimam esset Ecclesiae indicturus. Illud hoc loco contendo, nullam rationem esse, ob quam tantus dies contemptui unquam fuerit. Atque hic illorum Verborum sensus apud Zachariam: *Quis enim despexit dies parvos?* Metonymia esse putatur ab expositioribus, *dies parvi*, pro rebus ipsis exilibus tunc temporis peractis. Ego item enallagem arbitror pluralis pro singulari; nam de una illa die sermo erat, qua lapis in fundamento statutus, & quae de caeterarum ignobilium dierum plebe censeretur poterat. Addit itaque Vates: *Quis putasset ex tam parvis principiis tantam pendere fu-*

Dies parvi qui?

turam gloriam, ad quam templum asurget? Nemo mihi hanc diem etsi in speciem parvam, ac vilem, despexerit, quae magnarum rerum auspex sit. Sic hos Interpretes juvare libuit, qui eadem opera explicant tam Vulgatum, quam Hebraeum Codicem, qui habet: *Quis enim despexit dies parvarum?* scilicet rerum. R. Abraham in Commentariis: *parvarum consolationum, ac salutum: alii, parvarum acclamationum; quae nuper praecesserunt: alii, exiguum initiorum.*

268 Promam ego aliquid minimè fortasse despiciendum. Primum, tamininum genus retineo, & plurativum pro singulari positum autumo, more sacrae Scripturae, & cujusdam amplificationis tacitae gratia; hoc pacto: *Quis enim despiciet diem Parvae.* Ex Hebraeo enim legi potest scite: *Quis tu contemnens diem minima?* Hebraicum *Ketanoth*, tam qualitatem indignitatis, & abjectionis, quam etiam quantitatem corporis praefert; *diem humilis, pusilla.* Arias legit, *diem parvitas.* Meminerit lector, hanc Angeli orationem pro explicatione esse visi lapidis, Dei manibus sculpti, qui primum fundamenti locum tenuit. Sensus ergo est: *Haud pretiosa videbantur fundamenta, haud ita magnifica fabrica futuri aedificii; ac proinde haud valde jucunda locati lapidis dies.* At praeludunt haec, ut jam effecimus, primum gratiae lapidem in Virginei templi fundamento statuendum. Quis ergo hunc idem tanti mysterii praescium, quis tantae lucis umbram despexerit? Quis diem parvulae puellae minimae, minusculae, humilis, contempserit? cum prima ea dies pro multis, iisque festissimis, cum ea Virguncula pro multis futura sit augustissimis Reginis? Nonne Deus pro arbitrio suo dies distinguit? Hinc certe Marianae Conceptionis voluit esse Angelis, & hominibus jucundissimum, honorificentissimum, maximè plausibilem. Haec etsi multis Patrum testimonio adstruere poteram; uno contentus ero S. Anselmi effato hujus diei religioni addictissimi; qui in Homil. de Concep. sic inquit: *Quisquis parvi pendendum putat hujus Virginis celebrare Conceptionem, nec mereatur esse cum fidelibus, nec postea cognoscere Salvatoris adventum. Quae enim festivitas est huic praeposenda, per quam omnium festivitatum est orta devotio? Et infra: In me-met- ipso probabo, quod animo erubescant omnino insensati, qui tantum diem, tantaque sacramenta, ac mysteria, tenebris ignorantiae respuunt celebrare; eo quod viri, & mulieris copula in Conceptione Virginis extitit. Meminere hujus Homiliae Joan. Baccon. 2. d. 4. a. 1. & 4. distinct. 2. q. 4. a. 1. & 2. Addo eundem Anselmum in lib. de extr. Munda. salv. superbiae & arrogantiae adscripsisse illorum audaciam, qui antiquam Conceptionis Marianae celebritatem jam pridem ab Ecclesia Anglicana excultam abolere non dubitassent. Vide S. Brigittam Serm. Angelico c. 10. S. Joan. Damasc. Ser. 1. de Nativitate Virginis, Joannem Aragoniae Regem in Privilegio de Conceptione.*

Dies parva, minima, humilis, pusilla, dies Mariana Conceptionis.

Dies Mariana Conceptionis voluit Deus ut esset Angelis & hominibus jucundissimus, honorificentissimus, plausibilis, festivissimus.

S. Anselm.

269 Quis ergo despexerit diem parvae, humilis, abjectae in speciem? Laetabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Hinc plausus illi, quorum meminit Siracides noster; *exaltabitur, admirabitur, habebit laudem, benedicetur.* Et quos quidam Interpretes ex prophetis verbis deducunt: *erunt plausus, & acclamationes, gratia gratia ei.* Hinc S. Anselmus

S. Anselm. selmus loco proximè memorato: *Hac igitur filii dignissima Parens, cum in alvo sua Parentis naturali lege conciperetur. Quis non concedat, Dei Sapienciam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam gaudio caelum, terram, & omnia, quae in eis sunt, perfudisse, ac ineffabili jubilatione, pro sui redintegratione, quam per illam sibi eventuram, divina & occulta inspiratione praevidebant, perstrasse? His accensum cum Psalmista Pf. 47. Fundatur exultatione universa terra mons Sion: ubi sub nomine montis Sion, ad fundationem Templi Salomonici allusum fuisse reor, quod in monte Sion constitutum esset: ut bene probat nosler Villalpandus Tom. 3. in Ezech. in apparatu Urbis, & Templi p. 1. lib. 1. cap. 16. Hebraice est *Pulcher climate, gaudium universae terra mons Sion:* & ita legunt Pagninus, Forsterus, Vatavilus, & alii S. Chrysof. *Bene radicitur in gaudio, & laetitia universi orbis terrarum mons Sion.* Chaldaeus: *Gaudium est omnium habitatorum terrae.* Apollinaris & Ambrosii dilatans exultationem. De B. Virgine verba capit S. Chrysof. Serm. de Annunciatione. Certè in hujus Mariani Templi prima fundatione, tunc cum primarius in ea originalis gratiae firmissimus lapis in imo fundamento locatus est, utriusque creaturae, Angelicae praefertim, summae acclamationes, plausus, gaudia, & exultationes fuere. Ut enim S. Vincentius Ferrar. in Ser. 2. de Nativ. B. Virgin. aiebat: *Statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata: & statim Angeli in caelo fecerunt festum magnum.* Adde ex Bernard. Buftio 1. p. Marial. Serm. 8. revelatum fuisse Moniali; quod postquam Dæmones ceciderunt, Angelos in gratia confirmatos singulis annis festum conceptionis Virgineae celebrasse in caelesti curia summis plausibus, & gaudiis, quia in mente divina fuit praeservata ab aeterno. Preme pro iisdem plausibus & gaudiis illud Psalmi 86. 7. *Sicut laetantur omnium habitatio est in te.**

Pfal. 47. 3.

Fundata Deipara gaudio universae terra.

S. Vincentius Ferrar.

Pfal. 86. 7.

Moralis Illustratio.

SECTIO XIII.

Sanctitas est Christianae Sapienciae anima; sine qua inanis, & emortua extat quaecumque sapientia.

270 Quod est corpori animus, id Christianae sapientiae est sanctitas animae: ut enim corpus sine anima inane extat, & emortuum; ita sine sanctitate inanis est, & emortua omnis sapientia. Etenim cum Sapiencia Incarnata suam commendare animam aggreditur, sapientiam laudat, quae sit vivida, sanctitate ipsa veluti animata, & firmata, ei adjuncta, & ab illa inseparabilis. *Sapientia laudabit animam suam.* Habes apud Isaiam c. 11. illam Dei vocem, *Plenus sum.* Ast, qua ratione plenus? Eleganter explicat S. Ambrosius in Epist. ad Colof. 2. 3. *In soliditate virtutis, integritate justitiae, & ubertate sapientiae, ipse dixisti Domine: Plenus sum.* Certè Dei plenitudo in eo maximè respicendat, & stat, quod ubertati sapientiae adsocietur soliditas virtutis, & justitiae, sive totius sanctitatis integritas. Sic ejus sapientia solida est, non inanis; integra, non diminuta; vivida, non emortua. P. Hildph. de Flores in Eccles.

S. Ambrosius Plemus dicitur Deus in soliditate virtutis & sanctitatis.

Præmonstrans Incarnatam Sapienciam Rex Salomon Sap. 7. 26. aiebat: *Speculum est Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Facessit negotii non parum, cur Dei Sapiencia imago solius bonitatis divinae dicatur? Cur hoc dumtaxat divinae bonitatis imago in illa veluti in speculo representari afferatur; cum speculum referre soleat quidquid ei obversatur? Cur Dei Sapiencia non appellatur imago, & speculum, in quo Dei omnipotentia, justitia, misericordia, fortitudo, & reliqua attributa representantur? Cur non dicitur imago, & speculum divinarum omnium perfectionum, sed bonitatis solummodo? Certum est, Incarnatam Dei Sapienciam speculum esse, & imaginem omnium attributorum, & perfectionum divinarum; nihilominus tamen peculiariter dici putaverim divinae bonitatis speculum, & imaginem, quoniam loquitur Sapiens de sapientia, quam Filio Pater ex vi suae productionis per intellectus operationem ei communicavit: haec autem sapientia ut vivida esset, ut speculum esset vivida ratione imaginem referens, ut speciosè formata, & perfecta, necessum fuit, bonitate ipsa animari, quasi vitali spiritu; a quo colorem, lucem, & pulchritudinem acciperet. Ut enim vultus humanus imago quaedam animi est, & speculum; ita ut anima in facie se maximè videndam, atque cognoscendam exhibeat; ad eum planè modum, quo in ipsa quasi horologii facie horae, quas abditae intus rotæ conficiunt, foris cognoscuntur: simili quoque ratione sapientia divina speculum dicitur, & imago bonitatis divinae; hanc enim ipsa Dei sapientia conspiciendam refert, ac prodit, & ad amulum representat. Unde sicut deficiente anima, deficit faciei pulchritudo, color, lux, splendor, imò & imaginis natura; & statim adest mortis pallor, & foeditas; ita si deficeret bonitas, omnino deficeret ipsius sapientiae pulchritudo, color, lux, splendor; imò & imaginis natura, ac proinde sapientia ipsa deficeret, evanesceret, ac nihil prorsus esset: nam deficiente bonitate, deficeret ipsius sapientiae vitalis spiritus eam animans, & vivificans. Est ergo sanctitas, ipsius sapientiae Christianae anima.

Cur Incarnata sapientia nominetur tantum imago divinae bonitatis

271 Expende quid de hac Dei sapientia praedicet Siracides noster c. 4. 12. *Sapientia filii suis vitam inspirat.* Sermo utique est de Sapientia increata, Deo nempe, qui est vita essentialis, & sanctitas ipsa, quam filiis suis affundit, infundendo eis vitam creatam, gratiam scilicet & charitatem, quae est quasi supernaturalis anima Christianae sapientiae. Cum enim ipse Deus sit sapientia sancta, & sanctitas sapientissima, filios gignit sibi quàm simillimos in sapientia per sanctitatem, gratiam, & charitatem animata. Rem attingit Clemens Alexand. Stromat. qui Ecclesiastici verba effert: *In flavit Sapientia filios suos* (id est, infundendo, vitam eis inspirat) ita pulchrè: *Non enim iis, qui sunt in doctrina singulari, factum & arrogantiam ingeneravit Dominus; sed in veritate habere fiduciam, & esse magnificum in cognitione; effici contemptorem eorum, quae trahant ad peccatum; quod significat dictio, inflavit; quae docet magnificentiam sapientiae, quae implantatur iis, qui sunt per doctrinam filii.* Ut vides, filii sapientiae increatae dicuntur qui sapientes sunt, non mundiali sapientia mundalia bona appetente, sed eà sapientia imbuti, quae magnifica sit, peccati expers, & dumtaxat sanctitati ipsi innitens, & adherens. G Hujus

Eccle. 4. 12.

Sapientia vitalis debet esse sanctitate animata.

Clemens Alex.